



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiae S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Svpplementvm Tertiæ Partis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

Vtrum matrimonium sit in genere coniunctionis? 1

urn:nbn:de:hbz:466:1-38817

¶ Secundo, vtrum conuenienter nominetur?

¶ Tertio, vtrum conuenienter definiatur?

ARTIC. I.

181

Vtrum matrimonium sit in genere coniunctionis?

Tho. 4. d.

27. q. 1. a.

1. q. 1. c.

seq.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod matrimonium non sit in genere coniunctionis. Quia vinculum quo aliqua ligantur, differt à coniunctione ipsa, sicut causa ab effectu. Sed matrimonium est vinculum quoddam, quo iuncti matrimonio, ligantur. Ergo non est in genere coniunctionis.

¶ 2 Præterea, Omne sacramentum est sensibile signum. Sed nulla relatio est accidens sensibile. Ergo matrimonium cum sit sacramentum, non est in genere relationis, & ita nec in genere coniunctionis.

¶ 3 Præterea, Coniunctio est relatio æquiparantia sicut & æqualitas. Sed non est vna numero æqualitatis relatio in vtroque extremorum, vt Aui. dicit. Ergo nec vna coniunctio; & sic si matrimonium est in genere coniunctionis, non est vnum tantum matrimonium inter duos coniuges.

SED contra, Relatio est, secundum quod aliqua ad inuicem referuntur. Sed secundum matrimonium aliqua ad inuicem referuntur: dicitur enim maritus vir vxoris, & vxor mariti vxor. Ergo matrimonium est in genere relationis, nec est aliud quàm coniunctio.

¶ Præterea, Vnio duorum ad aliquid vnum non fit nisi secundum coniunctionem. Hoc autem fit per matrimonium, vt patet Gen. 2. Erunt duo in carne vna. Ergo matrimonium est in genere coniunctionis.

RESPONDEO dicendum, quod coniunctio ad adunationem quandam importat: vnde vbi cumque est adunatio aliquorum, ibi est aliqua coniunctio. Sed autem quæ ordinantur ad aliquid vnum, dicuntur in ordine ad illud adunari: sicut multi homines adunantur ad vnam militiam, vel negotiationem aliquam, ex qua dicuntur commilitones adunati, vel socij negotiationis. Et ideo cum per matrimonium ordinentur aliqui ad vnam generationem,

educationem proles, & iterum ad vnam vitam domesticam; constat quod in matrimonio est aliqua coniunctio, secundum quam dicitur maritus & vxor: & talis coniunctio ex hoc, quod ordinatur ad aliquid vnum, est matrimonium. Coniunctio autem corporum & animorum ad matrimonium consequitur.

Ad primum ergo dicendum, quod matrimonium est vinculum quo ligantur formaliter, non effectiue. Et ideo non oportet quod sit aliud a coniunctione.

Ad secundum dicendum, quod quamuis ipsa relatio non sit sensibile accidens, tamen cause eius possunt esse sensibiles: nec in sacramento requiritur quod sit sensibile illud quod est res & sacramentum. Hoc enim modo se habet in hoc sacramento predicta *coniunctio, sed verba exprimeria consensum sunt sacramentum tantum, & causa predicta coniunctionis sunt sensibilia.

*in corp.
art.*

Ad tertium dicendum, quod relatio fundatur in aliquo sicut in causa, vt similitudo in qualitate; & in aliquo sicut in subiecto, vt in ipsis similibus: & ex utraque parte potest attendi vnitas & diuersitas ipsius. Quia ergo in similitudine non est eadem qualitas numero, sed specie in vtroque simili, & iterum subiecta similitudinis sunt duo numero, & similiter est de equalitate: ideo & equalitas & similitudo omnibus modis est alia numero in vtroque similibus, & equalium. Sed relatio quae est matrimonium, ex vna parte habet vnitatem in vtroque extremorum, scilicet ex parte causa, quia ad eandem numero generationem ordinatur: sed ex parte subiecti habet diuersitatem secundum numerum. Et ideo haec relatio est vna & multiplex: & secundum quod est multiplex, ex parte subiecti, significatur his nominibus vxor, & maritus: secundum autem quod est vna, significatur hoc nomine, matrimonium.

ARTIC. II.

182

Vtrum matrimonium conuenienter nominetur?
D secundum sic proceditur. Viderur, quod matrimonium inconuenienter nominetur. Quia deno-